

mis calycinis majoribus Lapponiæ instructa est; quare mea specimina, *A. Pseudophragmitis* nomine divulgata (Act. Scient. Acad. 1822), varietatem *Calamagrostidis* sistunt, quod postea animadverti. *Aira cæspitosa* in regionibus subalpinis, flosculis majoribus, sæpius trifloris aristisque, subexsertis luxuriat, quæ *Aira glauca*, Hartm. Fl. Scand. in addend., quasi *A. alpinam* et *A. bottnicam* connectit.

Nam ut supra dictum, non modo flores, sed etiam glumæ calycinæ graminum grandescunt in alpibus, partim ob lumen solare perpetuum, partim propter aquam frigore mixtam. Lumen solare ampliores reddit flores, atque co-

---

lor. Promiscue crescunt, sed *A. rubra* jam deflorata, hæc paniculam vix explicavit. Glumæ calycinæ hujus ante florescentiam subulatae, sed in *A. rubra* ovatae apparent. In *A. rubra*, corolla semper clausa, id est gluma interior numquam libera; quia exterior corolla interiorem amplectitur, inque eo statu sub ipsa anthesi quoque perseverat, seminique maturo adhæret. In altera valvulæ sunt a se invicem liberae, corollaque proinde aperta, nec semini maturo adfixa. Figuræ 581 in Bot. Svec. proxima, sed duplo major. Si hæc est *A. vulgaris* Schrad., non videtur varietas esse *A. rubrae*, sed diversa species. Aliæ et permultæ sunt *A. rubrae* formæ muticæ; quæ vero sub N:o 668 in Bot. Svec. picta, vulgatissima in Lapponia est, neque post, neque antea, neque sub anthesin aliter, respectu paniculæ, divaricata, sed in omni statu sibi similis; neque glumæ calycinæ unquam adeo a se invicem remotæ, ut petala apparent, sicut ejus, quam nunc descripsi.